

## GERMANIA

Trans Sui<sup>as</sup> aliud mare, pigrum ac prope immotum, 45  
quo cingi claudique terrarum orbem hinc fides, quod ex-  
tremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus  
ut sidera hebetet; sonum insuper emergentis audiri formas-  
que equorum et radios capitis aspici persuasio adicit.  
illuc usque et fama vera tantum natura. ergo iam dextro 2  
Suebici maris litore Aestiorum gentes adluuntur, quibus  
ritus habitusque Sueborum, lingua Britannicae propior.  
matrem deum venerantur. insigne superstitionis formas 3  
aprorum gestant: id pro armis hominumque tutela securum  
deae cultorem etiam inter hostes praestat. rarus ferri,  
frequens fustum usus. frumenta ceterosque fructus patien- 4  
tius quam pro solita Germanorum inertia laborant. sed et  
mare scrutantur, ac soli omnium sucinum, quod ipsi glesum  
15 vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. nec quae 5  
natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum comper-  
tumve; diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris  
iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo  
usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes  
20 accipiunt. sucum tamen arborum esse intellegas, quia 6  
terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque  
interlucent, quae implicata humore mox durescente materia  
clauduntur. fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis 7  
secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis  
25 terrisque inesse crediderim, quae vicini solis radiis expressa  
atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempesta-  
tum in adversa litora exundant. si naturam sucini admoto 8